

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1944

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

3151

## CODICES

3152

*mofo, el morir es ganancioso, quod ad nostrum Morir Convient accedit.*

DCCCCX.

- 969 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 299. 8. luculente scriptus, literis initiorum, et marginibus multis auro, variaque pictura speciosis, et praeter complures *Iconiculas*, five *Literas historiatas* *Iconibus grandibus XXIII.* a penicillo commendandis insignis diversa continet *Pietatis Exercitia*, quorum en *Elenchum*: *Calendarium* tam *Signa Zodiaci*, quam *Georgica praefere*ns, in quo *Coelites* in *Belgio* praecipue culti *miniati* non pauci, unde *Codicis* patriam agnoscas. *Oratio ad faciem Christi fol. 13. p. 2.* *eleganter depictam.* *Horae de S. Trinitate, pro Defunctis, de S. Spiritu, de omnibus SS. de Corpore Christi, de Cruce, de Beata. Initia Evangeliorum. Preces variae proprii ingenii. Psalmi Poenitentiales cum Litanis SS. Rosarium B. V. M. Iterum Preces et Commemorationes Divorum variae. Psalmi dicti de Passione Domini, et Psalterium Hieronymo adscriptum. Epyodiarum Codicis* censeo aliquem *Virum Ordinis S. Iohannis Hierosol. Fol. enim 17. in margine depictum* pendet hujus Ordinis *Scutum*, et *Vir habitu rubro cruce alba insignito precabundus* prominet. *At fol. 43. p. 2. hic idem Vir eodem habitu, loricated, calcaratusque, adstituta galea e manu Sacerdotis corpus Domini suscipit de geni-*

*bus.* *Illud tamen infolentius, Crucem illam albam rursus Scutulis rubris cruciatis insignitam esse. Ut semel dicam; Sanctorum Effigies in hujus modi Horariis, Librisque precatoriis obviae, quod nomina adscripta habent, lucem adferre multis Tabulis ἁγίωνων in Principum, Optimatumque Collectionibus adservatis possunt, quae e folis Adtributis difficiliter dignoscuntur.*

DCCCCXI.

- Codex chartaceus lat. Sec. 780 XV. Folior. 132. 8. nitide scriptus et rubricis variis *sacras Preces* continet *initio sumto a Psalterio, cui praefixus Hymnus: Nocte surgentes vigilemus omnes semper in psalmis &c.* *Psalmis omnibus adspersae sunt Glossulae bohemicae.* Ita *Psalmo 1. abiit wffed. in consilio impiorum wradie nemi-lostnich. in cathedra a nastolicy. pestilentie moru &c.* *Psalterium excipiunt fol. 94. Cantica Biblica omisso Magnificat, Hymnus Ambrosii. Symbolum dictum Athanasii, Litaniae OO. SS. in quibus Veneslaus, Adalbertus et Ludmilla, Hymni ex Horis Canonicis, Orationesque variae, tum Lectionarium, iterumque piae Preces, quas inter Hymnus: Jesu dulcis memoria &c. D. Bernardo tribui solitus. Preces omnes solidam pietatem spirant.*

DCCCCXII.